



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXXVII. De Pœnis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

sententia Judicis sit majoris ponderis, quam Lex, si per ipsum ministerialiter fiat, quod Lex jubet; nam sententia totas suas vires obtinet à Lege, condemnationem damnificantis jubente: quamvis igitur ipsa Lex non immediatè condemnet & obliget jubet tamen per Judicem, instituta actione, condemnari: itaque Judex est executor Legis, & sententia Judicis est tantum purificatio conditionis, sub qua Lex obligat. Ad 3. dico, sententiam esse justam, utpote secundum Jura latam; indè tamen non sequitur, in læso jam antecederet dari jus absolutum ad petendam, & in lædente obligationem absolutam ad faciendam resarcitionem damni, quia, Jura solum obligant ad resarcitionem sub conditione, si instituta actione Judex condemnet, & sic purificando conditionem jus absolutum tribuat, & obligationem faciat absolutam: sicut si Judex secundum Leges pœnales ferat sententiam, & ad pœnam condemnet.

Cæterum actio Legis Aquiliæ datur quidem hæ. 14  
redibus damnificati, utpote rei persecutoria respectu ipsius, non tamen contra hæredes damnificantis, nisi lis cum defuncto prius fuerit contestata, aut ad eos ex damno dato aliquid pervenerit. §. 9. *Inst. de L. Aquil.* quia descendit ex delicto,

## TITULUS XXXVII.

### De Pœnis.

#### SUMMARIUM.

1. Quid, & quotuplex sit Pœna.
2. Speciatim de Jure Canonico. Ubi de Depositione & Degradatione.

Ccc 2.

3. R6.

3. Regulariter nulla incurritur absque omni sententia Judicis.
4. An Judex teneatur semper infligere illam penam, quæ à Lege determinata est.
5. Quis poenâ affici possit.
6. Ad incurrendam Infamiam requiritur notoritas delicti.
7. An Judex Ecclesiasticus possit infligere multam pecuniariam.
8. Inhabilitates, & Irregularitates, etiam ex delicto descendentes incurruntur ab ignato Legis. An à dubitante quoque?

¶ **Q**uia Processus Criminalis effectus & finis est puniri delicta, de quibus hucusque, rectè proceditur nunc ad Pœnas, hoc loco maximè in genere consideratas, proprias enim variis delictis ferè jam in propriis titulis adduximus. Pœna autem est *justa delicti coercitio*, h. e. delicto proportionata, & à potestatem habente inflicta castigatio. Dividitur I. in *Legalem*, quæ ab ipsa Lege: in *Judicalem*, quæ à Judice: & *Conventionalem*, quæ Partium conventionem in refutem à contractu injungitur & determinatur. Legalis subdividitur 2. in *Civilem*, quæ principaliter tendit in privatum commodum civiliter agentis super delicto: & in *Criminalem*, quæ principaliter tendit ad vindictam publicam, ut satisfiat Reipublicæ per delictum læsæ. Practici solent hodie pœnas *Civiles* vocare, quæ non sunt directe corporis afflictivæ, *die nicht an Haut und Spott gehen*/ *Criminales* verò, quæ sunt directe corporis afflictivæ. 3. In *Capitalem*, quæ adimitur vi-

vel naturalis, ut per ultimum supplicium, & de-  
portationem seu, quæ illi successit, proscriptionem  
seu bannum Imperii, quo vita malefici, impunè  
occidendi, omnium manibus exponitur, *Vogel-*  
*frey gemacht wird*; vel adimitur vita civilis,  
dum quis privatur simul libertate & civitate, ut  
olim fiebat per damnationem ad metalla vel in-  
terdictionem ignis & aquæ, dicebaturque *Cap-*  
*itis damnatio*; cum Respublica imminueretur ali-  
quo capite; hodie successit damnatio ad trire-  
mes, quæ si fiat in perpetuum, æquivalet pœnæ  
mortis: & in *non Capitaalem*, corporis tamen vel  
animi afflictivam, per quam non adimitur vita,  
uti est fustigatio, *das Ausstreichen*/ expositio ad  
pastellam seu ad numellas, *auf den Branger*/  
*oder Hals-Eisen stellen*/ relegatio ex provincia,  
*das Land verweisen*/ inustio stigmatis, *Brandt-*  
*Mahlen*/ amputatio aurium, manûs &c. Infamia.  
4. In *Positivam*, cujus executio requirit aliquam  
actionem, sive ipsius delinquentis, uti exilium,  
multa pecuniaria, vel alterius, uti verberatio, in-  
carceratio; quamvis enim incarceration de Jure  
Civili scripto non pro pœna, sed pro custodia tan-  
tum adhiberi potuerit. *l. 8. §. 9. ff. h. t. de con-*  
*suetudine tamen etiam in foro Civili frequens est*  
pœna carceris suffragante *Constit. Carolin. art. 157.*  
& in *Privativam*, quæ privat aliqua re, vel jure, si-  
ne interventu actionis, uti censuræ inhabilitates,  
irregularitates, & irritationes pœnales. 5. In *Or-*  
*dinariam*, quæ ab ipsa Lege, scripta vel non-scripta,  
jam est determinata ac definita, & si Lex dicat,  
eam *ipso Jure*, vel *facto* incurri, vocatur *lata sen-*  
*tentia*, si verò jubeat infligi à Judice per senten-  
tiam,

tiam, dicitur *ferenda sententia*: & in *Extraordinariam*, seu *Arbitrariam*, quæ relinquitur arbitrio Judicis, pro delictorum & delinquentium qualitate primùm determinantis pœnam, ac inferentis.

- 2 De Jure Canonico aliæ pœnæ sunt *Vindicativa*; quæ principaliter spectant vindictam publicam, & satisfactionem pro injuria Reipublicæ illata: & *Medicinales*, quæ principaliter irrogantur in emendationem delinquentis, uti Censuræ, de quibus *ad tit. de Sent. Excomm.* paulò post. Aliæ *Temporales*, uti est infamia, carcer, castigatio corporis moderata, privatio & confiscatio bonorum, multa pecuniaria, condemnatio in expensis suis, detrusio in Monasterium, quæ tamen ferè exolvit: aliæ *Spirituales*, uti Censuræ, Irregularitates de quibus alibi, item Depositio & Degradatio, quas, quia nullibi adhuc explicavimus, breviter describo. *Depositio*, nempe simplex, verbalis, & specificè accepta, est pœna solis Clericis propria, qua vel ab Ordine (h. e. Ordinis exercitio) vel Beneficio, vel ab Officio, vel à Beneficio & Officio simul, vel totaliter ab Ordine, Beneficio & Officio per sententiam (Condemnatoriam, vel à Jure jam sit lata, Declaratoriam criminis) revocatur in perpetuum. Per ultima verba distinguitur à *Suspensione*, quæ de se non est perpetua & privans ipsa radice & titulo beneficii, sed tantum exercitio; item à *Privatione Beneficii*, quæ non infert inhabilitatem perpetuam ad idem vel novum Beneficium. *Degradatio*, quæ, licet comprehendatur in depositione genericè sumpta, vocari tamen etiam solet *Depositio Realis* est pœna gravissima, quæ Clericus propter

minis atrocitatem, vel incorrigibilitatem suam, solenniter & authenticè privatur non tantùm Ordine, Beneficio, & Officio, sed etiam Statu Clericali, h. e. omnibus privilegiis Clericalibus, Fori, Canonis &c. ut à Judice Sæculari (cui etiam tradi solet) secundùm Leges Civiles puniri possit, & percuti sine periculo excommunicationis. Quando profertur dictæ privationis sententia solenniter, *Degradatio Verbalis*, quando autem fit sententiæ solennis executio, *Realis* nuncupatur. Solennitates describuntur in *c. 27. de V. S. c. 2. h. t. in 6. Trid. s. 13. c. 4. de ref. & in Pontificali Romano*. Si realiter degradatus à Curia Sæculari non puniatur morte, vix iterum in pristinum statum restitui solet, & à solo Pontifice possit. per *can. 1. 2. d. 50.* Cum Depositis tamen ob crimina non valde enormia dispensatio permittitur Episcopis. P. Wiestner *h. n. 74.* cum Panorm. Barb. Gonzal. Cæterùm Judex Ecclesiasticus non infert pœnas mortis, mutilationis membri, aut suffigationem à Carnifice faciendam &c. cùm Ecclesia non temporalem, sed spirituales exercent gladium. *can. 6. caus. 33. q. 2. c. 4. de Raptor.*

Dico 1. Nulla pœna ferenda sententiæ incurritur ante sententiam Judicis condemnatoriam, ut per se liquet. 2. Nulla quoque pœna lata sententiæ positiva, ad cujus executionem requiritur aliqua actio vel ipsius delinquentis vel alterius, ante sententiam Judicis declaratoriam criminis, neque regulariter privativa privans aliquo jure jam plenè quæsito. Communis cum P. Wiestner *h. t. n. 18.* Covar. Sanch. Palao. *De pœna positiva* colligitur ex carentia Juris ad sub-

eundam pœnam obligantis ante iussionem Iudicis, & omnem sententiam; ex nimia difficultate, quæ reperitur in hoc, ut aliquis in se ipsum exequatur pœnam, vel ab alio petat sibi infligi, v. g. privationem Beneficii, sua bona Fisco addici &c. item ex communi persuasione ac praxi: de *privativa privante* &c. *ex c. 19. de Hæret. in 6. Ad d. di, regulariter*; excipiuntur enim censuræ, item inhabilitates, nullitates, & impedimenta Matrimoniorum, provisionum Beneficialium &c. nam hæ ultimæ pœnæ non privant jure jam quæsito, sed primum quærendo. 3. Nec pœna conventionalis probabiliter solvenda est ante sententiam Iudicis, & Partis innocentis exactionem; quia pœnam paciscentes, nisi claris verbis se obligent ad pœnam ante sententiam & Partis exactionem, censentur appofuisse pœnam juxta naturam & regulam pœnarum Juris Communis, quæ in conscientia ante omnem Iudicis sententiam non debentur, & si pœna cedat in alicujus favorem, si que eam non exigit, censetur illam remittere.

*Objic.* Ex hac doctrina sequitur, frustra à Legibus pœnalibus poni has clausulas, *ipso Jure, ipso facto*, amittat dominium, privatus sit beneficio &c. sed hoc dici non debet: ergo. *R. N. Ma.* Dicitur clausulæ habent nihilominus sequentes effectus notabiles. 1. Non opus est sententiâ condemnatoriâ, sed sufficit declaratoria criminis ad dimitendum beneficium &c. 2. Fructus percepti à die commissi criminis post hujus declarationem restituendi sunt; ad quos restituendos primum à die sententiæ condemnatoriæ Reus fuisset obligatus: si talis clausula Legi pœnali non esset adjecta. 3.

Actus,

Actus, quos gessit reus delicti post diem commissi criminis, v. g. Prælatus post diem malæ alienationis, fuerunt tantum revocabiliter validi propter hujusmodi clausulam, adeoque irritandi sunt.

4. Dominium rei, quo Lex privat ipso Jure, v. g. statuens privationem beneficii, confiscationem bonorum, amittitur quidem statim, at non ipse usus & retentio rei, donec feratur sententia declaratoria, & tunc retrahitur privatio ad diem commissi criminis.

Dico 2. Judex Supremò inferior, & qui jus aggratiandi non habet, regulariter & per se non potest remittere, vel mitigare, minus exasperare, pœnam Ordinariam, seu à Legge, Canone, Consuetudine, Statuto determinatam. Plerique cum S. Thoma, tam Juristæ quàm Theologi; quia inferior non potest immutare Legem Superioris. *c. 16. de Major.* & Judici non licet judicare de Legibus vel contra Leges, sed secundum Leges. *can. 3. d. 4. l. 1. §. 4. ff. ad S. C. Turpill.* Principi autem supremo, qui Lege superior esse censetur *l. 31. ff. de Legib.* id licet ob justam causam, & ubi per indulgentiam non datur sceleratis ansa delinquendi; item iis, qui jus aggratiandi habent ex privilegio vel consuetudine, uti Principes ac Status Imperii Romani in suo territorio. Addidi, *regulariter & per se*; nam per accidens & ob circumstantias vel lenientes vel aggravantes etiam inferiori Judici permissum est immutare pœnas legales, imminuere vel exasperare. *l. 16. §. 3. 4. 5. 6. l. 28. §. 3. 10. l. 42. ff. h. t. l. ferè ff. de R. J.* Sed istæ circumstantiæ, lenientes vel aggravantes, sumuntur præcipuè ex qualitate personæ delinquentis, vel

Ccc 5

per



per delictum offensæ, ex modo, loco, tempore, quo commissum est delictum, item ex iteratione frequentiori. Unde, quia ordinariè talis circumstantia mitigationem vel exsperationem pœnæ exigens adesse solet, pœnæ criminum hoc tempore ferè sunt arbitrariæ, præsertim in foro Canonico, ubi consuetudo plerasque fecit arbitrarias, ut notat Engel *h. n. s.* cum Vallens. favétque Trid. *s. 2. c. 3. de ref.*

5 Dico 3. Subjectum pœnæ est omnis & solus homo delinquens; quia delicta suos debent tenere auctores; & ubi delictum, ibi fit pœna. *l. 26. ff. l. 22. C. h. r. sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. c. 23. de R. J. in 6.* Si Leges expressè velint innocentes comprehendere pœna, sicut liberos privant quibusdam bonis, vel privilegiis propter crimen læsæ Majestatis à patre commissum ex justa causa, ut nempe pater magis pœniatur in liberis. *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majestatis.* respectu horum non videtur esse propriè pœna. Sicut propriè pœna respectu defunctorum non est, si propter crimen eorum corpora v. g. suspenduntur in furca, vel implicantur Rotæ.

6 Dico 4. Nulla infamia ex delicto oritur, nisi istud sit notorium notorietate Juris, vel Facti. Communior cum Abb. contra Barbos, quia infamia completa, & in actu secundo, est diminutio bonæ famæ: sed fama nunquam diminuitur actu ob delictum hominibus ignotum. Nec obicitur quòd infamia *Juris* imposita dicatur perpetratio, non manifestationi criminis; quia, si manifestatio non accedat tanquam conditio, actu notum inuri-

inuritur infamia, sicut ignis actu non urit, nisi accedat applicatio tanquam conditio.

Dico 5. Multa pecuniaria, quæ etiam *Ementa* dicitur subin rectè imponitur ab Ecclesiastico etiam Judice. *c. 4. de off. deleg. c. 18. de off. Jud. Ord. c. 2. h. t. Trid. s. 25. c. 3. de ref.* Accedit praxis, & ratio, quia subinde magis timeretur & absterret à delictis pœna pecuniaria quàm corporalis. Id tamen cavere debent Judices Ecclesiastici (uti & Laici) ne de avaritia & lucri cupiditate se faciant suspectos, nimis frequenter mulctando in pecuniis, easque sibi applicando. Et hinc *Trid. lo. cit.* jubet, ut illæ *piis locis, ibi existentibus, assignentur.* Sed *Objic. In c. 13. de vit. & honest. & c. 3. h. t.* videtur prohiberi exactio pœnæ pecuniariæ. R. hæc & similia Jura intelligi debent de casibus, ubi aliæ à Jure pœnæ sunt præscriptæ, vel ubi Judices Ecclesiastici eas sibi applicant, vel ubi Ordo Judiciarius non servatur &c.

Dico 6. Inhabilitates pœnales, si non principaliter in pœnam sint statutæ, uti & irregularitates, etiam ex delicto descendentes, probabilius incurruntur ab eo, qui laborat ignorantia Juris, eas suo delicto annectentis, vel ignorantia facti, suum actum esse talem, cui annexa sit irregularitas vel alia inhabilitas. 2. Non tamen ab illo, qui dubitat, dubio Juris vel Facti, si post debitam diligentiam adhibitam maneat dubium speculativum, & deponatur dubium facticum. Pars I. suadetur ex *c. 9. de Cler. Excomm. ministr.* dein ex eo, quia inhabilitates non pœnales, & irregularitates ex defectu descendentes incurruntur ab ignorantibus, ut plerique omnes fatentur, v. g. irregularitas

ritas

ritas orta ex defectu natalium, ætatis, ex bigamia &c. ergo etiam ex delicto descendentes, eò quòd non principaliter & per se in pœnam sint introductæ, sed ex alia causa, scilicet irregularitates in reverentiam Evcharistiæ & ob decen-  
 tiam Statûs Ecclesiastici, licet per modum pœnæ sint statutæ, & secundariò ob interveniens delictum rationem pœnæ habeant. Ex quo solvitur præcipuum argumentum Adversariorum, pœnas ab ignorantibus non incurri asserentium; id enim conceditur quoad pœnas, quæ principaliter rationem punitionis habent, negatur autem de iis, quæ solùm secundariò. Pars 2. ex c. 18. de Sent. Excom. in 6. ubi statuitur, nullam incurri irregularitatem, nisi in casibus Jure expressis: sed, si est dubium *Juris*, an nempe in hunc actum à Jure sit decreta irregularitas, item si est dubium *Facti*, an hic actus sit talis, in quem statuta est irregularitas, non est in Jure expressum, quòd incurratur irregularitas: ergo. Excipitur unus casus, quo quis dubitat dubiò facti, an homicidium, quod certò constat esse commissum, à se vel alio perpetratum sit; talis enim pro irregulari (sed solùm in ordine ad abstinendum à Sacerdotum Ordinum exercitio & celebratione Missæ) habetur c. 12. & 18. de homicid. Sed magis utique *inquies*, excusare debet ignorantia, quam dubium, ab irregularitate: ergo, si dubius non incurrit, à fortiori nec ignorans incurret. R. N. paritatem in hac materia; quia in casum dubium nulla à Jure reperitur statuta irregularitas: in casibus autem, ubi ignorantia excusare deberet, supponitur, certò statutam esse in aliquem actum à Ju-

à Jure irregularitatem, & ignorans nullibi ab ea eximitur.

## TITULUS XXXVIII.

### De Pœnitiis & Remissionibus.

#### SUMMARIUM.

1. *Quid sit Pœnitentia, & quid Remissiones.*
2. 3. *Quid involvat Pœnitentia ut Sacramentum, tam ex parte Pœnitentis, quàm ex parte Ministri.*
4. *An & quando detur obligatio confitendi peccata, & qualia.*
5. *Quis possit absolvere à peccatis Reservatis.*
6. *Quanam soleant reservari ab Episcopis.*
7. *Quid requiratur ad Reservationem peccati.*
8. *An ignorans incurrat casum reservatum.*
9. *Papa, regulariter solus, potest concedere Indulgentias, etiam pro Defunctis.*
10. *Qua dicantur Indulgentiæ Plenariæ & non-Plenariæ: quid illis superaddat Jubilaum.*

**P**œnitentia consideratur tripliciter. 1. prout est virtus specialis, seu detestatio & dolor animi de peccatis, prout hæc sunt offensa DEI, cum proposito melioris vitæ. 2. ut est Sacramentum, si nimirum interno dolori accedat confessio peccatorum coram Sacerdote, & hujus absolutio. 3. prout est Satisfactio, seu opus pœnale, vel sponte susceptum, vel à Confessario injunctum, ad delendam, quæ ordinariè post dimissa quoad culpam peccata remanet, sustinenda in hoc vel altero mundo, pœnam temporalem, ut ali-